

contra quam // fuerint producta, et eidem dare copiam talium 197 B capitulorum vel positionum productorum, an[te]quam aliquis testis examinetur super ipsis. ¶ Et si aliqua partium habentium questionem produxerit in termino sibi dato ad capitulum vel ad probandum aliquod capitulum unum vel plura in iudicio, quod probare voluerit cum sacramento partis adverse, volumus quod talis pars adversa iurare debeat et sibi deferatur sacramentum, et respondeat per sacramentum talibus capitulis si erunt pertinentia, quandocunque ante publicationem processus, et si usque ad publicationem processus non iuraverit, ab inde in antea non teneatur iurare. ¶ Salvo quod, si de voluntate parcium ante publicationem processus et conclusionem cause conservaretur ius ad differendum tale sacramentum etiam post publicationem processus et cause conclusionem, tu[n]c iurare debeat respondere etiam processu publicato vel concluso in causa, dummodo sententia lata non fuerit.

Cap. XIII. Rubrica de ordine cognitionis warentum super possessione petita. R.ca.

20 **N**oviter statuimus quod, si aliqua questio erit in iudicio occasione alicuius possessionis petite in qua oblata esset petitio, et reus possidens contra quem ageretur haberet warentes sive autores ad defensionem dicte possessionis, et ante litem contestatam citari non fecerit suos warentes, et si 25 venerint eos // non requisiverit de defensione dicte possessionis 198 A petite et processerit in questione, vel si non venerint in citatione bina facta in placitis generalibus et in crida etiam facta secundum formam statutorum, et ipsis non conparentibus non fecerit protestationem suam contra tales warentes contumaces, quod, si talis possessio petita una vel plures evinceretur 30 sibi in iudicio, (quod) regressum habere possit contra dictos tales warentes etiam lite contestata, si talis possessio ei fuerit evicta, nullum ius vel regressum habere possit contra tales suos warentes sive autores, eo quod non denunciavit sive protestatus fuit ut supra dictum est; et si tales warentes citati 35